



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Art. 1. De propositi necessitate ad confessione[m] sacramentale[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

mittit, per illum dolorem ad percipiendam absolutionem non sit amplius sufficienter dispositus, ut Dicast. D. 6. d. 18. n. 322. Tamb. l. 1. c. 2. §. 4. & alij communiter docent, inter quos apud eundem Tamb. c. 3. §. 4. n. 11. est Lugo D. 34. f. 9. n. 147. est tamen is, qui peccata venialia omnia sub communi ratione offensæ DEI detestatus est, & ante absolutionem in aliud novum veniale v.g. vanæ gloriæ aut mendaciæ incidit, adhuc capax absolutionis: nec ullus hac de re ferupulus conscientijs injiciendus est, etsi in ea Confessione cum peccatis venialibus etiam mortalia fuissent exposita. Lugo n. 145. apud Tamb. n. 12. qui eum sequitur.

QUÆSTIO II.

De proposito non amplius peccandi.

Hæc est altera Pars, quæ in vera contritione includitur: id quod ab omnibus pro explorato habetur.

ARTICULUS I.

De proposito necessitate ad Confessionem Sacramentalem.

75. Remissio peccatorum, sive per contritionem extra Sacramentum, sive per attritionem cum Sacramento queratur, inveniri non potest, nisi præter dolorem de peccatis commissis concipiatur insuper propositum omnino emendandi suam vitam, & impostero abstinendi à peccatis, ut expressè docet Concilium

Florent. cit. & Trident. sess. 14. cap. 4. Nam Ezech. 18. & 33. DEUS peccantibus sub hac conditione veniam promittit: si custodiant omnia mandata sua. Et ipse etiam naturæ ductu notum est: nam qui ab offenso veniam vult impetrare, nunquam aliquid simile facturum se pollicetur. Nec potest esse vera detestatio commissi criminis, quando alicui adhuc inhaeret affectus paratus denuo idem aut simile quid perpetrandi. Hinc dolor sine tali proposito animi est non verè peccantis & contriti, sed seipsum decipientis, cum DEO ludentis, & cum diabolo facientis. Et ideo etiam tantum at est, ut Confessio sine eo proposito cuiquam prosit, ut etiam gravis Sacriligij reum constituat; atque adeo ipsa Confessio non tam in salutem, quam in extremam, eamque perpetuam perniciem inducat. Quod Christus etiam indicare voluit, qui, ut in Sacris Scripturis legimus, postquam aliquem sanasset, aliòve beneficio affecisset, subjunxit: Vade, & jam amplius noli peccare. Joan. 8. ne deterius tibi contingat.

ARTICULUS II.

Quanam ex dicto proposito sint devitanda?

76. Si de peccatis mortalibus sermo sit, res est explorata, propositum ea vitandi debere esse universale: alioqui Confessio, quæ sine eo peragitur, non est, nisi inanis quædam, & sacrilega suorum peccatorum enarratio. Quod autem ad peccata venialia attinet, non est necesse, ut propositum de ijs vitandis sit universale: sufficit particulare respiciens saltem aliqua: